



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De sanctimoniali cui B. Virgo morienti apparuit, cap. 54.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

& aduocate duos fratres, qui vos adiuuent, tempus est migrandi. Pulsata igitur tabula, circa principium Euangelij, conuentus occurrit, & ipse Abbas inter primos, sicque sancta illa anima, sicut prädixerat, ante finem Euangelij soluta est. APOLLONIVS: Non miror si iustus desiderauit mortem, quem auctrix vitæ consolata est ante mortem. CAESARIVS: Non solum præsentia eius infirmis dat fiduciam moriendi, sed etiam morientibus risum excitat, qui est signum magnæ lætitiæ.

CAPVT LIII.

Conuersus quidam, adolescens ætate, Friso natione, in Lucka, cuius supra memini, grauiter infirmabatur: deductus ad extrema, in ipsa agonia, sicut mihi retulit monachus, qui vidit, & præsens fuit, ridere cœpit; cui cum diceret vnus ex circumstantibus: Paule, hoc ei nomen erat, cur modò rides? respondit: Cur non rideam? ecce Domina nostra præsens est, & iam animam meam suscipiet. Videtur mihi in isto versiculus poëtæ impletus: Incipe parue puer risu cognoscere matrem. Puer erat virtute idem Conuersus, quia simplex & purus; paruus, quia humilis & mansuetus. Haud dubiū, quin beata Virgo morienti maternos exhibuerit gestus; quia non risum, sed timorem, vultus excitat seuerus.

*Virg. E.
clog. 4.*

CAPVT LIIII.

Simile contigit Colonia in Ecclesia sancti Mauritij: cum quædam sanctimonialis bonæ vitæ, in extremis ibidē laboraret, & sorores morientem circumstarent, illa serenata facie subridendo, cunctis audientibus in hæc verba prorupit: Bene veniat dulcissima domina mea, bene veniat: sicq; repressis labijs expirauit. Multum enim illā diligebat, vnde & in hora illa terribili dilectam videre meruit, visam salutare, atque per eam, & cum ea, celestem thalamum intrare. APOLLONIVS: Spero quòd dæmones, qui etiam viris sanctissimis in exitu nimis sunt importuni, in præsentia tantæ majestatis subsistere nō possunt. CAESARIVS: Hoc tibi ostendere volo per exemplum.